

alterum elucubratus fuerat in defensionem Principis Aurelianensis, & execrationem ejus homicida. Cumque praverit Burgundis fore, ut annitente Legato ipso Gersono liber Joannis Parvi examini & censure Concilii subiceretur, Concilii iudicium istud ejusdem dissolutione antevertere satagebat; Gersonem vero tanto prosequeretur odio, ut se perpetuo deinceps damnare exilio, ne in manus caderet efferati contra se Burgundi, toti fere Franciae regno per vim & factionem tyrannicam dominantis. Legatis porro Concilii Joannes responsum dedit, se ut securior esset, in partes Austriacae ditionis a Concilii loco remotiores transitorium: inde tamen ulterius progressurum in ditiones Ducis Burgundiae, a quo amicissime invitabatur. Joannes & Sigismundus & Concilium ut Christianos Principes suis partibus addicerent, singuli pro se litteras oppositas conscripserunt, ut eos sibi absterperent, aut vacillantes in fide continerent.

14. Sigismundo interim non satis fuit litteris & legationibus cum Principibus agere, sed armis praeterea Fridericum Joannis receptatorem, multis ejus subactis oppidis, & delectis copiis, tam strenue oppugnavit, ut illum adegerit sub litteris commeatu & securitatis ad proficiendum Constantiam, ibique petendam suppliciter veniam ad Regis Sigismundi pedes, quam demum obtinuit pollicitus cum jurejurando Joannem Papam reducere, dummodo utriusque cautum esset de vita & bonis & libertate post adimpletas pacis conditiones. Interea dum omnia complerentur, obses Constantiae remansit, Joannes vero Friburgi oppido Austriaco custodiebatur, ne fuga elaberetur. Missos a Concilio, qui se citarent, lato in speciem vultu excepit, spondens se in Concilio potestate esse, atque penitere praecipitis concilii, quo se clanculum e Concilio subduxerat. Denique Concilium sess. 12. presidente de more Cardinali Oltiensis, qui a priore, quem habuerat Episcopatu, vulgo Cardinalis Vivariensis audiebat, praesente quoque in Augusto habitu cum corona ceterisque Imperialibus insignibus Sigismundo, sententiam depositionis definitivam tulit in Balthasarem Cosam, nuper dictum Joannem XXIII. & in Angelum Corarium, nuper dictum Gregorium XII. & in Petrum Lunensem, nuper dictum Benedictum XIII. statuitque, ne quisquam ipsorum posthac eligeretur, aut acceptaretur in summum Pontificem. Ea sententia uno omnium Patrum consensu approbata, cum fuisset ad Joannem, qui sub militari custodia in oppido Celle distante Constantia duobus non amplius miliaribus detinebatur, relata, eandem ipse comprobavit, deposito Pontificali habitu, atque instrumento publico ratam habuit, adhibito juramento, nunquam se quidem in oppositum consensurum, aut acturum. Sedit Joannes annos quinque & dies quindecim ab electione usque ad abdicationem a se approbatam. Vacavit Sedes ad usque novam electionem biennio & quinque mensibus diebusque decem.

15. Sessione 14. Carolus de Malatesta Princeps Ariminensis civitatis, in qua Gregorius XII. residebat, procurator nomine renunciationem Pontificii fecit in manibus Sigismundi Romanorum & Hungariae Regis, ad perficiendam Ecclesiae pacem, non autem apud Concilium, quod Gregorius minime approbat, praesentibus tamen Concilii Patribus, tamquam testibus duntaxat, non ut coram auctoritate hac in re ullam habentibus, ea de causa visum est eo die nullum Concilio praesidere. Sigismundus vero in separata sede cum omni Augustali ornamento & apparatu illam Gregorii abdicationem excepit, Regioque instrumento communivit. Universumque Concilium hymnum consuetum gratiarum apud Deum actionis solemniter concinuit. Decevit autem post hac Synodus, fore eum semper Cardinalem Episcopum, & post Romanum Pontificem ordine & dignitate primum habendum, nisi forte Petro de Luna abdicante, secus de utriusque ordine decerneretur. Ipse Gregorius apud suos omnia insignia Pontificalia lubens deposuit: suaeque abdicationi biennio supervixit, paulo ante Martini creationem vita excedens.

16. Dum Constantiensis Patres Concilium prosequuntur, damnata est ab eis Wicleffiana haeresis, cuius assertor convictus Joannes Hus, & brachio seculari traditus, rogo est additus, & vivicommissio poenas luit anno 1415. Julii 6. Anno insequenti ejus sodalis Hieronymus Pragensis eandem ob causam pari supplicio ignis consumptus est. Hoc eodem Concilio propositio illa Wicleffiana, cuius postulabatur a Gersono reus Joannes Parvus pridem defunctus, ob id jam antea a Parisiensi Episcopo damnatus, sess. 15. declarata est damnabilis, & proscripta fuit ut erronea contra fidem & bonos mores, abique tamen ulla mentione sine Joannis Parvi, sive Burgundiae Ducis, qui apud Synodum exposularat, & Doctorem defunctum, & seipsum a Joanne Gersono calumniosis criminationibus impeti; ea vero propositio

damnata sub hac verborum expressione fuit: *Tyrannum posse & debere licite & merito occidi per quemcumque vasallum seu subditum, sive aperta vi, sive per clanculares insidias, & subriles blanditias, non obstante quocumque praescripto juramento, seu consideratione cum illo facta, nec expectata sententia, aut mandato iudicis cuiuscumque.*

17. Solus contententium Pontificum supererat Petrus de Luna post Joannis & Gregorii abdicationem. Ad amolendum id obstaculum, Sigismundus lubens mandatum sibi a Concilio suscepit munus profectionis ad Nicenam Provinciam urbem colloquio destinata, ad quod Ferdinandus Rex Aragoniae una cum Petro Lunensi convenire hac ex causa debebant. Sed cum per egritudinem, qua ei supervenerat, Ferdinandus huic se profectioni accingere non valeret, minime dubitavit Sigismundus Barcionem proficisci, ibique cum Ferdinando & Lunensi de perficienda Ecclesiae unione longos sermones habuit, falso protestante Lunensi nihil sibi aequum in votis esse, ac unquam fuisse, atque illam desideratissimam unionem, sed pro se ulque adeo privilegia singularia, & immanem ambitionem tententia, deponebat, qualia nunquam haecenus proposita vel audita. Praetereaque alias numerosas, & omni rationi oppositas immo impossibiles conditiones ad rem exequentiam exigebat, ut nihil ab illo boni sperandum esset, qui rei facillime, cui etiam duo jam amuli exemplo suo praeiverant, tanta obstinatione refragaretur. Quapropter illud omne colloquium diremptum est. Lunensis vero, qui non nisi litteris commeatu praemunitus ad hunc congressum accesserat, Peniscolum suam ad Valentiam litus sitam praesidio & commeatibus copiose praemunitam cum suis juramento sibi adactis se recepit. Tum Ferdinandus a pervicacissimo atque arrogante intolerabili homine se subtraxit, consilio motus Sancti Vincentii Ferrerii, qui antea Benedicti partes quasi iustitia ceteris praevalentes, ut existimabat, tutatus fuerat, Regibusque Aragonum auctor fuerat adherere Benedicto, quandiu verbis elusoris jactabat, omnia Ecclesiae paci se posthabiturum, suoque jure incontestabili cessurum, dummodo ceteri contententes, qui omni jure, (ut a se habet) desituti erant, sincere vellent animi sui propositum imitari propria abdicatione. Ferdinandus edicto subditis suis prohibuit omnem cum Benedicto quasi Pontifice adhesionem. At iste nunquam animo concidens, suis familiaribus convocatis graviter protestatus est, se unum esse in universa Ecclesia legitimum Pontificem, & constanter velle ac debere jura tueri dignitatis suae; excommunicavit vero Regem, aliosque omnes, quicumque a se abscederent, vel abscisuri erant. Quinetiam divina qua pollebat auctoritate, Ferdinandum regno aliaque omni ditione abdicavit, cunctisque prohibuit, ei quasi Regi subesse ac obtemperare, sub pari qua illum percussit anathematis poena.

18. Anno Christi 1417. Constantiensis Synodi Sess. 32. cui de more praesuit Joannes Cardinalis Oltiensis, interfuitque Sigismundus, lecta est definitiva sententia post multiplices citationum libellos & contumacias, testiumque audiciones, & alia rite & juridice acta, depositionis Benedicti seu Petri Lunensis definitiva sententia. Deinde sess. 35. editum est Synodale decretum perpetuum, ut quinquennio post absolutum Constantiensis Concilium aliud celebraretur generale; eoque absoluto, alterum post septennium interiret: ac deinceps singulis decenniis in locis a Pontificibus Romanis ultimo mense cuiuslibet Concilii, de Concilio tamen consensu designandis, ut sic per quandam continuationem & ferriem semper aut Concilium vigeat, aut sit in proxima expectatione. Eumque terminum licere quidem Pontifici, secundum emergentes difficultates, consentiente ipso Concilio, coarctate, sed non prorogare.

19. Sess. 40. Decretum est, futurum Pontificem cum delegatis singularum nationum Italicae, Gallicae, Anglicae, Germanicae, Hispanicae, antequam Synodus dissolveretur, debere reformare Ecclesiam in capite & in membris statumque Romanae Curiae. Decretum pariter, ut nihil obstant Cardinalium Petri Lunensis absentia procedatur ad novi Papae electionem, eaque forma pro hac sola vice fervetur, ut una cum Cardinalibus sex Praelati de singulis quinque Nationibus, in Synodo tunc existentes, ad futuram primam electionem admitterentur: & ut quicumque a duarum partium Cardinalibus simulque duabus aliis partibus nationum delegatorum foret electus, verus esset atque indubitatus Pontifex, cui omnes nationes astringantur obedire.

20. Sess. 41. in qua pariter confedit Sigismundus Augustus, post solemne Sacrum aliaque supplicationes, Ictamque constitutionem Clementis Papae VI. de modo & forma Conclavis, emissaque juramenta in ea praescripta, nominati sunt Nationum electores Cardinalium ista vice duntaxat adjungendi, qui simul omnes preparatum in communibus civitatis Constantiensis adibus conclave sunt ingressi,

ingressi. Atque isti simul tertio post die, qui fuit Novembris undecimus, elegere in summum Pontificem Odonem Columanensem, ex nobilissima apud Romanam familia, qui in honorem Sancti Martini, cuius ea die festum occurrebat, Martinus dici voluit, ejus quidem nominis tertius, quintus tamen nuncupatus ob duorum Martinorum Pontificum confusionem; faustisque omnium acclamationibus & ingenti laetitia per Sigismundum una cum Synodo intra majorem Basilicam collocatus est in folio. Cumque esset Diaconus Cardinalis tituli S. Gregorii in Velabro, seu ad velum aureum, fuit die Sabbati vigesima ejus mensis Novembris a Joanne Episcopo Oltiensis consecratus Presbyter, & sequenti Dominica ordinatus Episcopus, tandemque tiara redimitus solemni ex more processione per civitatem circumductus, regentibus hinc inde phalerati, cui inferebat, equi frænum Sigismundo Romanorum & Hungariae Rege, & Friderico Marchione Brandeburgensi, Electore Imperii Camerario. Felicissima illa fuit electio Pontificis nimirum humanitate, mansuetudine, justitia, morum integritate & prudentia insigniter conspicui. Simul ac innovere cepit ejus electio cum lacrymis omnes praesens gaudium gratias Deo peregerunt, subitoque in Conclave accurrens Sigismundus, qui tot laboribus & sollicitudinibus indefessis pacem Ecclesiae tandem conciliaverat, omnibus Electoribus gratias egit, qui tantum Pontificem & reipublicam Christianam propemodum extinctam necessariam delegissent. Atque illico ad electi pedes corruens summa veneratione & exultatione osculatus est. Quem Pontifex amicitissime complexus est, impenseque ejus merita laudans gratias agit, quod ipsius opera, laboribus & industria pax tandem Ecclesiae diutissime expetita praesulgeret. Quod quidem felicissime contigit a schismatis exordio per Clementis adversus Urbanum VI. creationem expleto anno trigesimo nono, inchoatoque per duos fere menses quadragesimo. Quoniam nondum plane discipulis extinctum, quandiu subsistit Petrus de Luna, ejusque successor Clemens dicitur VIII. quibus aliqua adhuc obedientia, qua ipsi Martino legitime electo negotium facessivit, dum Alphonsus, qui patri Ferdinando in regnum Aragoniae successerat, molestus schismatis, quod fovebat, Martinum compellere intendit, ut a Renato Andegavensi regnum auferat Neapolitanum, & sibi illud qua armis qua dolis ambienti ad hanc redimendam schismatis molestiam conferat. Sed anno tandem 1429. post innumeras tergiversationes negotiatione Apostolici Legati Cardinalis Fuxensis, & assiduis exhortationibus Joannis Regis Navarrae, qui erat Alphonsi frater, Alphonsus ipse palam schisma abdicavit, ejusque monitu Clemens antipapa indebita dignitati renunciavit se Martino subiecit; eoque tempore desit a creatione primi Antipapae Clementis Roberti Gebennensis prolixissimum annorum quinquaginta schisma. Concilium vero Constantiense annos fere tres & sex menses duravit. Caeptum quippe ann. 1414. die 5. Novembris, terminatum est anno 1418. die Aprilis 23. Et triumviratum rescidit non minus Romanae Ecclesiae exitalem, quam fuerat Romanae Reipublicae famosus ille triumviratus Antonii Lepidi, & Octavianii.

21. Martinus ante Concilii dissolutionem juxta Decretum sessione 39. factum, proxime futuri Concilii locum civitatem Papiensem designavit, ad quam cunctis tempore indicto esset conveniendum. Rogatus de Concilii decretis confirmandis, respondit ore proprio, posteaque per Concilium Advocatum iterari iussit, se omnia & singula Concilii in materia fidei conciliariter decreta tenere, & inviolabiliter observare velle, & non aliter nec alio modo. Quam in rem observa, noluisse Martinum approbare Decretum sessionis 4. Constantiensis, Concilium istud potestatem habere supra Pontificem, qui ipse obedire teneatur, & cogi per poenas ad hoc possit. Quam doctrinam Petrus de Alliaco Cardinalis & Episcopus Cameracensis, ejusque discipulus Joannes Gerson viva voce in hac Synodo & extra Synodum scriptis propugnauerunt. Sed si, prout oportet, intelligatur una cum illa quarta Concilii hujus sessione, definitio illa non est absolute sumenda, sed secundum praesentem materiam ac subiectum. Praeterea quod enim nondum erat generalis Synodus, cum sessio illa quarta vertebatur, cum liquido constat, ex tribus Ecclesiae obedientibus solum tunc interfuisse Joannis XXIII. obedientiam, reliquis duabus Concilio adversantibus. Mens praeterea Concilii ex ipsiusmet verbis concipienda est secundum praesentem statum: *Generale hoc ipsum Concilium legitime in Spiritu Sancto congregatum, pro extirpatione praesentis Schismatis potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existeret, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, &c.* in his namque circumstantiis verum est Constantiense decretum,

ut sapienter disputat eruditissimus Cardinalis Joannes de Turrecremata in sua summa de Ecclesia lib. 2. c. 99. Contentiunt enim unanimes tum Theologi, tum Canonistae, duobus eventibus Papam auctoritati subesse Concilii eoque morem gerere debere, atque ut ita dicam, fides submittere. Primum quidem si sit manifestus & pertinax haereticus, tunc enim definit esse Papa, cum sit extra Ecclesiam, ideoque cessat esse caput ac alium quodvis membrum mystici corporis. Idcirco praclare attestatur Sanctus Episcopus & martyr Bonifacius: *Hujus (scilicet Papae) culpas, istis redarguere praesumat mortalium nullus; quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.* Refertur cap. si Papa, dist. 40. Secundo quando ita creati sunt plures Pontifices Romani, ut discerni non possit, uter eorum sit verus aut illegitimus, praefendus aut rejiciendus. Ut contigit in hac trium Pontificum disceptatione; tunc enim maxime interest Ecclesiae regimini, & animarum saluti certum habere Pontificem, schisma perniciosissimum dissipare. Quae causa fuit legitima Conciliorum Pisani, & Constantiensis. His duobus seclusis casibus, Papa non subest auctoritati coactive ullius Concilii. Statuitur enim vetustioribus Conciliis Sinuesano, & Romano sub Symmacho, quod *Prima Sedes a nemine judicatur.* Quinimmo nullum generale Concilium convocari regulariter nisi Summi Pontificis auctoritate potest, ut assertit Marcellus Papa & Martyr in epist. 1. ad Episcopos Antiochenae Provinciae. Et Julius Papa I. epist. ad Orientales, quam refert Athanasius Apologet. 2. illos graviter reprehendit, quia absque consensu suo Synodum Antiochia celebrassent. In Concilio pariter Chalcedonensi actione 1. Dioseorus Alexandrinus jubet inter Episcopos non federe hac ratione: *Quia sine auctoritate Apostolica Sedis Synodum facere ausus esset. Quod nunquam licuit, nec unquam factum est.* Et Paschalis rescribens Panormitano Archiepiscopo: *Ajunt (inquit) in Conciliis non reperiri statutum; quasi Romana Ecclesia legem Concilii nulla praeseriverit. Cum omnia Concilia per Ecclesiam Romanam auctoritatem, & facta sint & robur acceperint: & in eorum statutis Romani Pontificis potenter excipiatur auctoritas.* Habetur c. significasti, de electione.

22. Hoc saeculo Francia Regnum tot tantisque calamitatibus concussum est, tum per externa ab Anglis bella, Rege potissimum Carolo VI. facto per demeritiam regnandi impote, ut nisi Deus auxiliarem manum imminenti hujus Regni ruinae supposuisset, in extremas clades & Anglicam servitutem corruisset. Tot malorum fons & origo altius accendenda est. Grave bellum exortum est pro minoris Britanniae seu Armoricae dominatione inter Blesensem Carolum & Joannem Montfortium, utroque sibi ejus provincia Ducatum asserente, cui finem Blesensis mors in praedio caesi attulit. Egregius belli Dux Olivarius Clifonius ipse patria Armorica Blesensis partes in eo bello foverat, inita etiam cum illo affinitate, quocirca Montfortio admodum invidus ac exosus erat; cumque esset Clifonius Franciae Comestabilis, cui omnis Anglici belli a Carolo VI. suscepti praefectura incumberebat, Montfortius dolo interceptum Clifonium in carcere conclusit. Quo accepto nuncio Carolus Rex haud immerito grandi iracundia exarsit, adeo ut cibo, potu fomnoque abstinens nihil aliud quam belli apparatus, & in Armoricum vindictam animo versaret. Collectis igitur derepente copiis sub ardentibus diei caloribus proficiens, capite jam inedia & insomniis debilitato, supervenientibus Solis aestibus, omnino amens, dum apud Cenomanos transiret, evaserit, indeque Parisios reductus sit. Tres habuerat patruos Rex Carolus. Ludovicum Andegavensem, quem Joanna Neapolitana Regina bello a Dyrrhachino Carolo oppressa, & mox ab eodem strangulata adoptaverat, vocaveratque in regni successionem. Hic vero in Italicam expeditionem exhausto aetate regni Francici profectus, interit in Italia bellum gerens cum Carolo Dyrrhachino anno 1384. Quo defuncto reliqui erant duo Regis Franciae patruus Joannes Bituricum, & Philippus Burgundiae Duces, qui sibi regni administrationem sumpserunt secluso Regis ipsius fratre Ludovico Aurelianensium Duce: quae res odiorum bellicae civilis fomitem subministravit inter hunc & illos; praesertim postquam mortuo Philippo Burgundo, qui placidior erat, successit ei filius Joannes ferox ingenio, & turbatum publicarum incendiarius.

23. Immortales interim inimicitiae Joannem Burgundiae & Ludovicum Aureliae Duces invadunt: frustra Biturige annitente, ut inter confanguineos Principes dissimillimae naturae extinguerentur discordiae. Nec odii finem fecit Burgundus, donec emulum per summum nefas in media Parisiorum civitate scartorum manu jugularit. Quo perpetrato parricidio, in Flandria, quae ad se jure materno pertinebat, protinus aufugit, crimen suum